

gnum: ideo ex genere Abrahae descendens Maria virgo Deum concipit, ut supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo iungeretur.

S. OPTATUS Milevitanus (saec. IV)

SERMO DE EPIPHANIA

- 675 [...] Accepit et Christus aurum: honorificentia erat istorum, non avaritia illius. Mater gavisura erat de auro? Totum gaudium eius erat in Christo. PLS
I, 298

IGNOTUS (saec. IV)

TRACTATUS IN LUCAE EVANGELIUM

- 676 Cap. I. [... Elisabeth] occultabat se mensibus quinque donec descenderet in puero anima, et Spiritu sancto confirmaretur. Agro virgineus campus eius exemplo concipiendi roboraretur flore salutis. Occultabat se et erubescerat, usquequo puer velut milix devotus saltaret ante caelestem imperatorem, et matrem suam matris Domini faceret laudatricem. Usque tunc abscondebatur se. Postquam autem salutis progenies coepit virginis pubescere utero, et ad visitandum saeculum propinquare, gloriabantur dicens *quid mihi sic fecit Dominus?*¹ Non Zacharias, sed Dominus, quia a nullo humano adiutorio, sed divino beneficio gaudeo. [...]
- 677 [...] *Qui habitat in adiutorium altissimi;*² non ut adiubet patrem, sed ut adiubet mundum. Et, Iesu filii Dei Altissimi. Erubescat Paulus, Fotinus, et Ebion, quia quem Maria concepit et peperit, non Mariae est, et homo hominis filius; sed filius Altissimi vocabitur. Ecce vocabitur Altissimi filius. PLS
I, 331
- 678 [...] *Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quod virum non novi?*³ Super naturam et substantiam extendis sermonem. Dictum tuum non solum me, sed totum mundum stupescere facit...
... mater; vivorum Deus pater. Non debet esse ante filium pater qui vitam filio dedit, et nihil accepit a filio? Sicut de illo filius gloriatur: *sicut pater habet vitam in se, sic et ego vivo propter patrem,*⁴ non pater propter me; et vos vivitis propter me. Et ne diceret sancta PLS
I, 332

¹ Lc. I, 25.

² Ps. XC, 1.

³ Lc. I, 34.

⁴ Io. V, 26 et VI, 58.

Maria, et unde hoc manifestum et notum est tibi quod mater sum Domini? Infert Elisabeth iustissima lege — [*Ecce enim ut facta est vox salutationis] tuae in auribus meis.*¹ Devotionem honoris et *reverentiae mihi obsequium portans, salutem mundo, de lucro iustorum, de aumento sanctorum, de fidelium incolumitate et gaudio, quod et angelis est futurum in caelo, et confessoribus victoribus praeparandum — ante regem, ut servus ante dominum, ut praeco ante imperatorem caelestem, ille exultavit in utero, et me matrem fecit, tuam et Domini laudatricem — perseverasti incredulus, ut vocis dispendium acciperes cum linguae iactura. Sed beata suscipiens a beato beatum, augeas vocem cum lingua verbo nascente. Nec times de praeterito peccatorum, nec in praesenti damnationem, sed excludes timore ut credulitate iudicium. Quapropter *quoniam perficiuntur ea,*² non inchoantur sed perficiuntur ea, de perfecto perfecta. *Quae dicta sunt* non ab angelo sed Domino. Per singula crevit mulieris fides, ut virginitatem credulitate confirmet anicula, et in angelo loquentem Dominum, et in Domino cognoscas Deum. LEGE. - [Quia] de me talia beneficia et praeconia praedicaverunt, non me extollo, sed Deo gratias ago.

*333

PLS
I, 333

*Magnificat anima mea Dominum:*³ quia parvam me, magnam fecit; exiguam, eximiam; despectam, visitatione respectam. Non enim omnis anima magnificat Dominum; peccatoris et iniusti non magnificat...

679

PLS
I, 334

[*Mansit Maria cum illa quasi mensibus] tribus.*⁴ Ut castitatem suam et pudicitiam stabiliret, et virginitatem et continentiam confirmaret: ut exemplo sterilis, gratum virgo pondus sufferret in utero: ut diligeret Christum, ut virum sponsum, ut custodem: ut ante Pauli dicta, quae sunt Pauli servaret; *anus ut adolescentulas*⁵...

680

... condonavit: ut oculus stupeat miraculum, mens intendat repentinum mysterium.

¹ Le. I, 44.

² Le. I, 45.

³ Le. I, 46.

⁴ Le. I, 56.

⁵ I Tim. V, 2.

● PLS I, 343.